DE MODO IRREALI, QUI VOCATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS OBTULIT

Wilhelm
(GUIL.) WILHELMI
GYMNASII MARBURGENSIS PRAECEPTOR.

MARBURGI CATTORUM.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.
1881

De modo irreali, qui vocatur.

Initio in animo mihi erat investigare, qualia sint in Homeri carminibus enuntiata condicionalia. Cuius rei quoniam L. Lange[1]) Lipsiensis partem magnam doctissime tractavit, illo labore supersedere me posse putabam, atque cum praeterea Odysseae omnibus et Iliadis multis exemplis collectis nimiam fore molem intellegerem, a via proposita recessi et in paucis, quae minus late patere viderentur, studium malui collocare.

Inter viros artis grammaticae peritos constat, Akenum[2]) virum de doctrina linguae Graecae grammatica bene meritum, verborum praeteriti usu irreali[3]), qui vocatur, adductum esse, ut negandi vim ipsi praeteriti formae adhaerere praeceperit. Quae opinio et Boppii[4]) interpretatione, qua augmentum ex a privativo descendisse contendit, confirmari videtur neque multum differt ab iis, quae Skerlo[5]) de augmento scripsit.

Sed merito ad refutandam illam Akeni sententiam duo ante hoc triennium libelli prodierunt alter Koppini[6]), alter Gerthii[7]), quorum uterque indicativi praeteriti formis a principio nihil nisi res praeteritas significari demonstrat.

Koppin haec quidem docet: »Man darf von einem Modus irrealis nicht reden im Sinne einer wissenschaftlichen, grammatischen Kategorie, die einen wirklichen und eigenartigen Modus, oder doch die letzten erhaltenen Reste eines solchen repraesentiren soll, vielmehr ist, wenn man sich dieses Ausdrucks bedient, derselbe nur als ein des tiefern Sinnes entbehrender handlicher grammatischer Terminus für eine durch nichtmodale

1) Der homer. Gebrauch der Partikel εἰ, in: Abhandlungen der phil.-histor. Classe der Kgl. Sächs. Ges. der Wiss. Leipz. 1872.

2) Sit venia huic vocabulo!

3) A. F. Aken, die Grundzüge der Lehre von Tempus und Modus im Griechischen. Rostock 1861. vide par. 64.

4) Franc. Bopp. Gramm. crit. linguae sanscr. Berol. 1832. par. 317. et eiusdem Vergleichende Gramm. II, 1. 1858 par. 371 et II, 2. 1859 par. 540 et 541

5) Ueber den Gebrauch des Augments bei Homer, Program. Gymnasii Graudenz. 1874.

6) Karl Koppin, Giebt es in der griech Sprache einen Modus irrealis: in libro, qui inscribitur: Zeitschr. f d. Gymnasialwesen XXXII. 1878. cf. p. 131.

7) Bernhard Gerth, Grammatisch-Kritisches zur griech. Moduslehre; Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt. 1878.

Factoren des Ausspruchs mitbestimmte Gebrauchsweise des landesüblichen Indicativs der Praeterita zu betrachten«.

Quae ut Gerthio probata sunt, ita equidem, quoad praeteriti illum respiciunt usum, prorsus collaudo.

Quod autem ad Gerthii argumenta attinet, quae contra Akeni opinionem attulit, in vetere illius vitio impugnando ipse in novum non minoris ponderis incidit, quod dicit Homeri rationem in enuntiatis irrealibus aliam esse atque eorum, qui post eius aetatem fuerunt.

Verba eius haec sunt pag. 4.: »Der Optativ herrschte ursprünglich auch im Gebiete des als unwirklich Vorgestellten, aus dem ihn in der Periode einer schärfer gesonderten modalen Ausdrucksweise der Indicativus verdrängte.«

Quod recte se habere, negandum esse duco. Ac ne quis forte temere hoc a me dici existimet, primum quidem consideranda mihi sunt exempla optativa, quae exhibent optativi modum. Quae quidem verba leguntur

υ 236 *εἰ γὰρ τοῦτο, ξεῖνε, ἔπος τελέσειε Κρονίων·*
γνοίης χ' οἵη ἐμὴ δύναμις καὶ χεῖρες ἕπονται.

aut *B* 370, *κ* 535, *ξ* 440, *ζ* 244, *υ* 169, multa alia, nihil impedit, quin res, de quibus dicit poëta, fiant. In respiciendo loco *γ* 205 dubii esse possumus, utrum, quod Telemachus cupit, re vera impetrari possit, nec ne.

Non aliter iudicari licet de

δ 697 *εἰ γὰρ δή, βασίλεια, τόδε πλεῖστον κακὸν εἴη·*

Quae verba minime idem valent atque: *τόδε πλεῖστον κακὸν οὐκ ἔστιν;* nam res, quam spectat Medon, nondum acta est; pergit enim *ἀλλὰ πολὺ μεῖζόν τε καὶ ἀργαλεώτερον ἄλλο μνηστῆρες φράζονται, ὃ μὴ τελέσειε Κρονίων.* Machinantur maius malum, ipsam Telemachi perniciem, nondum confecerunt. Confer etiam *ι* 523, alia.

Si vero, id quod haut ita raro in Homeri libris invenitur, senex quidam exclamat:

ξ 468 *εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη·*

et *H* 132 alias, aut *Θ* 538 *εἰ γὰρ ἐγὼν ὣς*
εἴην ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα,

porro cum leguntur: *ι* 456 *εἰ δὴ ὁμοφρονέοις ποτιφωνήεις τε γένοιο·*
(458) *τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλῃ*
θεινομένου ῥαίοιτο πρὸς οὔδεϊ, κ. τ. λ.

sane non erunt, qui qualia illis locis concupiscantur, omnino accipi posse dicant. Naturae scilicet leges illis rebus petitis obsistere perspicuum est. Quare optativi modum partibus indicativi fungi dicemus? Minime!

Ex apodosi enim plerumque his enuntiatis adiecta intellegitur, sententiis non negationis vim inesse, qualis indicativo praeteriti efficitur[1]), sed potius eum, qui sermonem

1) Liceat adhuc hanc definitionem retinere!

facit, rei ipsius rationem nullam habere et suo animo et sensu ita duci, ut rem natura ipsa invita consequi posse sibi videatur, nisi forte apodosis sententiam prorsus vanam et ridiculam existimas.

De eiusmodi enuntiatis Lange p. 25 (321) haec fere protulit: »Es kommt dabei nicht auf die Möglichkeit oder Leichtigkeit der Erfüllung, als vielmehr auf die Intensität des Wunsches an.« Certius rem explicavit Koppin p. 108: »die Lebhaftigkeit der Empfindung, des Begehrens, der Sehnsucht drängt die sonst in derartigen Wünschen mitwirksame Erkenntnis zurück«. Atque gaudio quodam me afficit, quod Gerth p. 4. ipse professus est: »der Sprechende stellt sich für einen Augenblick auch das Unmögliche als möglich vor«, quo quidem iudicio suum argumentum contra Akeni opinionem allatum debilitavit.

Quamobrem haec optativi ratio eadem iudicanda est atque in enuntiatis, quae rem impetrabilem indicant.

Nunc videamus, num viri grammatici vere iudicent in Homeri enuntiatis optativis omnino indicativum praeteriti non inveniri.

Quorum etiam Gerth est dicens p. 5.: »Wir dürfen nicht, wie dies Koppin um der Analogie der optativischen Sätze willen versucht, von den *Wunschsätzen ausgehen, in denen ja gerade der Indicativ sich am spätesten festgesetzt hat.*«

Hoc autem valde dubito et contendo rationem illam, quam post Homeri aetatem valere volunt, principalem esse neque apud Homerum deesse posse.

Unde enim ille usus indicativi praeteriti irrealis, vi optandi praeditus ortus esse potuit, nisi forte lacuna immensa et obscura viam, qua lingua antiqua cum recentiore iungatur, intercisam esse putas?

Quid? Si quis relativa quoque et finalia eiusmodi enuntiata post Homerum evasisse monebit, num negari poterit? Certe non poterit; at prorsus alia horum atque illorum est conditio, quippe quae sint enuntiata secundaria et sermonis recentis omnibus hypotaxis rationibus instructi; illa autem optativa, quae sunt primaria, nulla res impedit, quin antiquissimo tempore, quo imprimis parataxis[1]) ratio florebat, exstiterint.

Sed ne quis forte miretur, diligenter Homeri libros inspiciens talia exempla inveni, quibus rem iam probabo.

δ 732. εἰ γὰρ ἐγὼ πυθόμην ταύτην ὁδὸν ὁρμαίνοντα·
τῷ κε μάλ' ἤ κεν ἔμεινε καὶ ἐσσύμενός περ ὁδοῖο
ἤ κέ με τεθνηκυῖαν ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπεν.

h. e. »Utinam certior facta essem hoc ab illo iter parari!« etc.

1) A. Grumme, Homerische Miscellen. Programm des Gymnasiums zu Gera 1879. p. 4 et 17.

Si quidem leguntur

ω 30. ὡς ὄφελες τιμῆς ἀπονήμενος, ἧςπερ ἄνασσες
δήμῳ ἔνι Τρώων θάνατον καὶ πότμον ἐπισπεῖν·
τῷ κέν τοι τύμβον μὲν ἐποίησαν Παναχαιοί,

quis est, qui offendat, quod enuntiatum optativum apodosis sequatur? quis, qui protasin conditionalem esse ducat? (cf. *Ψ* 546 alia). Neque alia sane illius loci (*δ* 732) est natura. —

Atque *ψ* 21. εἰ γάρ τίς μ' ἄλλη γε γυναικῶν, αἵ μοι ἔασιν,
ταῦτ' ἐλθοῦσ' ἤγγειλε καὶ ἐξ ὕπνου μ' ἀνέγειρεν·
τῷ κε τάχα στυγερῶς μιν ἐγὼν ἀπέπεμψα νέεσθαι.

latine vertendum est: »Utinam alia (perfidarum) quae mihi sunt, hoc nuntiasset!« Penelope aegre ferebat (*δ* 732), quod Telemachi iter sero comperisset, *ψ* 21, quod serva, quam amicissimam et fidissimam habebat, mentiri videretur.

Quod enim Ameis ad *ο* 545 adnotavit, cum optativo coniunctum εἰ γάρ optationem significare, cur non ad praeteritum quoque possit pertinere, nihil cernitur causae. Sed accedunt alia enuntiata ab his diversa.

Π 686 νήπιος· εἰ δὲ ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν

Miser! utinam (modo) consilium Agamemnonis servasset!«

δ 172 post Ἀργείων punctum, post Ζεύς colon poni opus est atque ita legendum:

Ἀργείων. Εἰ νῶϊν ὑπεὶρ ἅλα νόστον ἔδωκεν
νηυσὶ θοῇσι γενέσθαι Ὀλύμπιος εὐρύοπα Ζεύς·

»Utinam Zeus nos trans mare redire passus esset!« *B* 80 »Utinam alius Achivorum somnium dixisset!« Hoc loco Nestor dolore afficitur, quod somnium modo auditum, fide dignissimum, verum dicere videatur. *α* 235 sqq. post ἀκαχοίμην, quia sententia finitur, aut colon aut punctum, post τολύπευσεν colon pono, nam a τῷ κεν incipit apodosis. Sensu opposita sunt ἄϊστον et θανόντι περ; dei (κακὰ μητιόωντες) eum prorsus ex conspectu abstulerunt, quo maius hominibus malum non accidit; nam ipsam mortem non tantopere Telemachus lugeret; quare summa animi aegritudine exclamat: »Utinam periisset aut a Troianis aut domi apud suos bello confecto!«

γ 256 »Utinam vivum quidem Aegisthum Menelaus invenisset!« Qui locus nulla re differt, nisi quod apodosis duplex apponitur; praecedunt enim verba ὥς κεν ἐτύχθη et sequuntur τῷ κεν ἔχευαν, κ. τ. λ.

Quae quidem omnia exempla tempus praeteritum significant, sed in promptu alia quoque sunt ad res praesentes pertinentia.

ο 267. ἐξ Ἰθάκης γένος εἰμὶ, πατὴρ δέ μοί ἐστιν Ὀδυσσεύς,
εἴ ποτ' ἔην· νῦν δ' ἤδη ἀπέφθιτο λυγρὸν ὄλεθρον.

»Utinam (adhuc) esset!« (sc. Ulixes pater). Quid autem sibi vult: Si quando (unquam)

fuit!«? Verborum quidem connexu, id quod verbis *νῦν δ' ἀπέφθιτο* declaratur, sententia requiritur negativa.

Quare aliquis coniectura opus esse et pro *εἴ* legendum *ἦ* putaverit, quod facile per itacismum, qui vocatur, ex mss. removeri potuit. Sed eadem verba pari modo poëta aliis locis ponit, ubi talis emendatio est reiicienda: *Γ* 180 Helena de Agamemnone, *Λ* 762 Nestor de se ipso, *τ* 315 Penelopa de Ulixe, *Ω* 426 Priamus de Hectore mortuo profert. Mirandum est, quibus artibus interpretes ad quinque illa enuntiata explicanda, condicionalem *εἴ ποτ' ἔην* esse sententiam defendere studuerint, quamvis omnes sensu negativo opus esse probe intellexerint. Sicut scholia [1]) ad *Γ* 180 scripta: *εἴ ποτ' ἔην δαήρ, ἐμὸς ἔην (τούτου δὲ τὸ θηλυκὸν οὐ δάειρα ἀλλὰ γάλως). διὰ δὲ τοῦ δαέρος λεληθότως τὸν ἄνδρα ὀλοφύρεται.* Similiter Eustathius [2]) interpretatus est: *οἱονεὶ λέγουσα, ὡς οὐ νῦν ἐστιν, ἀλλά ποτε ἦν-τὴν ἐπ' ἐκείνῳ λύπην ἐμφαίνει.*

Ad eundem locum Wolfius [3]) in libro, qui inscribitur: Vorles. z. Ilias 1831. II. p. 202 adnotavit: Die Neuern können sich nicht darein finden, so Dacier. Es drückt aber blos die sanfte Empfindung aus, die mit Unmuth, Schmerz verbunden ist: sonst war er's. — Wie neure Ausleger den Satz optativisch fassen konnten, begreife ich nicht.« Madame Dacier (si quidem hanc Wolfius dicit) *Γ* 180 vertit: »il étoit mon beau-frère. Hélas! malheureuse puis-je vivre et penser que je ne puis plus lui donner ce nom.«, sed *ο* 268: mon père se nomme Ulysse, s'il est vrai, qu'il soit encore en vie, car je crains bien, qu'il ne soit mort depuis longtemps.«

Maioris autem momenti sunt, quae Schuetzius in Hoogeveeni de partic. Graec. libro (1782) scripsit: Id autem (particulam *εἰ* optativam quoque esse) Hoogeveenus negat, saltem exempla se non recordari fatetur, ubi *εἰ* simplex ponatur pro »utinam«. Atqui iam Abreschius hunc usum exemplis adstruxerat, animadv. ad Aeschyl. vol. I. p. 97.«

Quae tamen res aliter non iam diiudicari potest, postquam Lange [4]), vir summa laude dignus, demonstravit in exemplis, quae optativi modum exhibent, particulae *εἰ* primo infuisse interiectionis vim atque antiquissimo tempore ad optativa quoque enuntiata pertinuisse, tum demum apodosi enuntiatis optativis adiuncta hypotacticam exstitisse particulam.

In eiusmodi autem rebus ipsa antiquissimi sermonis ratio potius respicienda est, quam praecepta [5]) veterum grammaticorum audienda, velut Eustathii 1301, 37 *εἴ μοι ἀντὶ τοῦ εἴθε μοι παρ' Εὐριπίδῃ ἐν τῷ εἴ μοι τὸ Νεστόρειον εὔγλωττον μέλος. Ἀν-*

1) Edit. Dindorf I. p. 148.

2) Edit Lips 1827. I. p. 324.

3) cf. etiam Hermanni append. ad Vig. pag. 946.

4) Die Partikel p. 184 (178) 8: »εἰ ist eine zur Einleitung von Wünschen und Fallsetzungen geeignete interjectionsartige Partikel cf. p. 565 (267) 8.

5) Lehrs, de Aristarchi studiis p. 66. et 236.

τήνορός τε τοῦ Φρυγὸς δοίη θεός! et 1339, 62 εἰ σύνδεσμος προηγούμενος κώλου κατ' ἔλλειψιν ἀποδόσεως, ἢ ἀντὶ τοῦ ἄγε παρακελευστικοῦ λαμβανόμενος, ἢ ἐλλιπῶς προαιρετικοῦ ῥήματος, οἷον τὸ βουλοίμην ἢ τὸ ἤθελον ἄν., quasi particulae εἰ ipsi vis optandi non inesset.

An censemus, quod de particula εἰ, quae cum optativo connectitur, non idem de tota vocabuli vi esse iudicandum? Nonne quo propiora vocabula absunt ab origine, eo habenda integriora?[1]) Quis enim nostra aetate germanicae particulae »weil« temporalem fuisse primam notionem sentiret, nisi ex majorum sermonis consuetudine pateret?

Homeri autem carmina[2]) εἰ particulam optativam rarius cum indicativo quam cum optativo coniunctam habent, cum eidem notioni irreali quae vocatur, nullo discrimine etiam praeteritum ὀφείλειν verbi inserviebat; et, si quis quaeret, cur εἴθε cum indicativo apud Homerum non aeque inveniatur atque cum optativo aut cum ὤφελον praeterito, nisi casu malueris, equidem propter ipsius εἰ antiquissimum usum factum esse puto.

Sed persuasum mihi est, hanc ob rem multos praeteritum ab enuntiatis optativis apud Homerum alienum duxisse et fortasse ducturos esse. Habes igitur, quomodo per tantam annorum seriem res illa, de qua diximus, plerosque fugerit. Neque adverbii ποτέ significatio quinque illis locis nostrae repugnat opinioni, cum ita usurpatum inveniamus, ut plerumque quidem ad res praeteritas pertineat, nonnunquam ad futuras sive praesentes, atque recte in Eustathii indice Devarius attulit »Ποτέ — καὶ τοῖς προσφάτως γενομένοις εἴτουν ταῖς ἐξ ὑπογυίου πράξεσιν ἐπιλέγεται.« cf. Δ 182 ὥς ποτέ τις ἐρέει Α 340; ν 175.

Quibus demonstratis, qualis praeteriti verbi ὀφείλειν sit usus, inquiramus necesse est. Quod quidem invenitur apud Homerum prorsus eadem ratione, qua scriptores utuntur, qui post illum fuerunt, et in enuntiatis praedicativis[3]) et in optativis[4]) et de tempore praeterito[5]) et de praesenti[6]) sive futuro, ita ut nunquam (κεν) ἄν particula apponatur. Ubique praeterito ὀφείλειν verbi sententia negativa efficitur, qualem supra indicativo praeteriti aliorum verborum exprimi vidimus. Infinitivus autem aoristi accedens plerumque res praeteritas, infinitivus praesentis indicat praesentes.

Quoniam huc in disputando perveni, ad Akeni doctrinam redeo, et si potero, corrigere eam instituam.

Aken, quod quidem supra iam explicavi, augmenti rationem non adhibens, praeteritum irreale, quod vocat, ruinam quasi principalis esse modi praecepit.

Sed mirabiles linguae Graecae mutationes fuisse credideris: modum indicativi praeteriti nihil nisi rerum veritatem negasse, in Homeri scilicet libris iam marcescentem

1) Lehrs, de Aristarchi studiis p. 236.

2) Ev libris, quae post Homeri aetatem conscripta sunt, praeter illa exempla Euripidea ab Eustathio allata nulla mihi sunt nota, quibus particula priorem vim servaverit.

3) Κ 117. β 183. Δ 353. — 4) Α 415. — 5) Γ 173 et 428. — 6) Α 415. Δ 315.

et emorientem. in enuntiatis solis optativis et condicionalibus usurpari, paulo post medicina quasi recreatum in finalibus quoque adhibitum novas vires percepisse et in diem viguisse.

Quod cum ab omnium rerum viventium tum linguae natura alienum videtur ac probari nullo modo potest.

Neque etiam Toblerum [1]) Akeni doctrinae assentiri, sed dubiam existimare rem recte protulit Koppin [2]). Dicit enim Toblerus: »Wir sind über diesen Urzustand ohne directe Zeugnisse. aber soweit wir in der historischen Zeit zurückgehen können, finden wir bereits neben einander theils temporale Verwendung ursprünglicher Modi, theils umgekehrt temporale Bezeichnung modaler Verhältnisse.«

Quod autem Boppius [3]) docuit augmentum idem esse atque α privativum sive pronomen demonstrativum, ita ut non tam rerum omnino quam praesentium tantum exprimat negationem, optime Curtius [4]) his verbis refutavit: »dem steht schon formell der Umstand im Wege, dass das negative Praefix nur vor Vocalen a, sonst aber an lautet, während von einem Nasal beim Augment nirgends eine Spur zu finden ist.« p. 108. »Sodann negirt eine einer Verbalform vorgesetzte Negation, wie nescio und ähnliches zeigen. die ganze Aussage, keineswegs nur eine verhältnismässig nebensächliche Bestimmung derselben, die temporale, die überdies äusserlich durch kein besonderes Merkmal bezeichnet ist.« Bene etiam huius rei naturam depinxit Koppin p. 16: »Die Vergangenheit bleibt eben gewesene Wirklichkeit und hat als solche unstreitig eine positive Seite.« Accedit illa quoque causa, quod multo saepius apud Homerum quam post eius aetatem augmentum omitti [5]) videmus, quare ab origine praeteriti vim augmento ipso effici non potuisse perspicuum est.

Cumque nulla adhuc praeteriti illius usus interpretatio prorsus sit probanda, spe quadam afficior fore, ut rem possim diiudicare. Atque haec mihi veniunt in mentem, quae dicenda putem.

Primum quidem usus praeteriti ὀφείλειν verbi ab aliorum seiungendus est. Cuius qualis sit vis irrealis, facile est intellectu, si comparatur cum formis ἔδει, ἐχρῆν aliis ab Homero nondum adhibitis. Scilicet non praeteritum tempus per se illam efficit notionem, sed natura ipsius ὀφείλειν verbi, qua in tempus prius relatum, rem quandam neget necesse est.

Alia vero condicio est reliquorum verborum, de quibus ut exponam iam restat. Qua in re nitendum est prima particulae εἰ significatione. A principio autem vi quadam

1) Zeitschr. fur Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft. II. 1862. p. 34.
2) Zeitschr. für das Gymnasialw. p. 17. (1878).
3) Vergl. Gram. par. 371, 540, 541.
4) Das Verbum der griech. Sprache I. p 107. cf. etiam Erläuterungen p. 192 adn.
5) cf. H. D. Müller, Indogerm. Spr. I p. 6.

interiectionis praeditam fuisse particulae *μή* contrariam, ingeniose Lange[1]) docuit. Ut aliis verbis circumscribam: Inerat primo vis quoque desiderii, quod exprimere particulam praeter condicionalem illam notionem posse, Schuetzius[2]) in Hoogeveeni partic. p. 230. recte iam defendit. Desideriis autem in tempus praeteritum remotis, quod e praeterito *ὀφείλειν* verbi aliorumque eiusmodi cerni potest, semper sententia evadit negativa, ita ut doloris quasi significatio existat, quod res quaedam praeter spem et exspectationem acciderit.

Quare recte structurae indolem mihi videtur intellexisse Koppin dicens: »Der Affect des Begehrens ist sichtlich begleitet von einem ausdrücklichen und bewussten Erkenntnissact.« Cum autem principalem particulae *εἰ* significationem negligens Homerici in enuntiatis optativis usum indicativi ignoraret, cumque praeterea sententias finales, alias omitteret, rem vere conficere non potuit.

Ut igitur, quae sentiam paucis complectar: enuntiatorum illorum optativorum[3]) vim irrealem non ipso praeterito, sed optativa notione particulae *εἰ*, aliarum evasisse contendo. Quare illa quoque doctrina, quae adhuc in Baeumleinii (pag. 103 et 247), Kuehneri (par. 574 adn. 1.) aliorum libris exstat, iam retineri nequit, enuntiata optativa ex condicionalibus eo modo orta esse, ut apodosis reticeretur, quasi »*εἴ ποτε ἦν*« »utinam viveret« intellegi non posset, nisi »*εὐτυχὴς ἂν ἦν*« sive »*καλῶς ἂν εἶχεν*«, similia mente supplerentur. Primaria potius ab origine per se ipsa haec enuntiata exstiterunt neque unquam vim primam perdiderunt, sed cum apodosis adiungeretur, parataxis rationem obtinuerunt; quamobrem delendum est illud de ellipsi praeceptum[4]).

Eadem atque in enuntiatis optativis praeteriti ratio post verba timendi cernitur.

ε 300 *δείδω μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν*

Aken p. 162 brachylogia dictum esse vult pro *μὴ φανερὸν γένηται, ὅτι εἶπεν*; fortasse etiam assimilatione scriptum crediderit quispiam pro *δείδω μὴ ταῦτα νημερτέα ᾖ, ἃ εἶπεν, ἥ μ' ἔφαν* κ. τ. λ., sed, quod postea accuratius videbimus, particula *μή*[5]) notione prohibendi sive optandi praedita est, quare facile sententia convertitur in optativam: »Utinam ne dea verum dixisset!« Vide

Eur. Hel. 119 *σκοπεῖτε, μὴ δόκησιν εἴχετ' ἐκ θεῶν!*

Quibuscum comparari potest

I 698 *μὴ ὄφελες λίσσεσθαι ἀμύμονα Πηλείωνα*, κ. τ. λ.

---

1) »Die Partikel *εἰ* (p. 484, 8) eine interjectionsartige Partikel, das Gegenbild der prohibitiven Partikel *μή*.«

2) Henrici Hoogeveeni doctrina particulorum Graecarum. Recensuit Christ. Godofred. Schuetz. Dessav. et Lipsiae 1782.

3) cf. Koppin, Z. f. Gymnasialwes. XXXII. p. 112.

4) Kuehner, par. 575, 3, a et 395 adn. 4.

5) Baeumlein, die griech. Mod. pag. 101.

Quod autem indicativus praeteriti (imperfecti potissimum) ad res quoque praesentes pertineat, recte eodem modo fieri Koppin[1]) docuit, quo iudicium de re praesenti sive futura proferatur priori opinioni contrarium. Exempla sunt saepissime descripta (Od.) ν 20 *ὢ πόποι, οὐκ ἄρα πάντα νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι ἦσαν Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες*, et Plat. Phaed. par. 68. B. *Οὔκουν ἱκανόν σοι τεκμήριον, ἔφη, τοῦτο ἀνδρός, ὃν ἂν ἴδῃς ἀγανακτοῦντα, μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι, ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν φιλόσοφος, ἀλλά τις φιλοσώματος*; ubi Stallbaum adnotavit »quo (sc. ἦν) sic Graeci utuntur, ut spem aut opinionem frustra susceptam et elusam significet.« cf. π 418 sqq. alia.

Quid porro? Venio ad illum disputationis locum, quomodo ratio irrealis, quam vocant, explicanda sit in apodosi.

Ac primum quidem, quod aliter fieri nequit, quaestio illa denuo proponenda est de particula *ἄν* (*κεν*). Ipsos veteres viros grammaticos ignaros vocabulorum notionis esse constat, velut Apollonius in libri de syntaxi cap. VI. (*τὰ γεγονότα τῶν πραγμάτων ὁ σύνδεσμος ἀναιρεῖν θέλει κ. τ. λ.*) partem unam particulae usus descripsit, reliquam prorsus praetermisit. Sed longum est omnia praecepta enumerare neque quidquam habet emolumenti, cum plurima usque ad suam aetatem prolata Baeumleinium in libro de modis graecis contulisse et recensuisse constet.[2]) Equidem sola novissima, quae adhuc vigent, considerabo. Veri quidem speciem praebent, qui demonstrativam[3]) vim inesse volunt: Particulam primo ad protasin respicientem in enuntiatis irrealibus ipsam quoque negandi munere fungi coepisse, ita ut protasi vel omnino omissa vel aliis rationibus expressa indicativo ipsi cum particula coniuncto eadem, quam diximus, irrealis significatio inhaereret. At multa et magna esse, quae obstent, nisi fallor, iam Lange in opere suo monuit.

Si enim ab origine talis esset notio, qua correlationis ratione (ut *τότε* aliaque eiusmodi) ad particulam *εἰ* respiceret, quid esset, quod non ad omnia condicionum genera eodem modo demonstraret, illa potissimum dico exempla, quae rerum veritatem indicant? Porro, qui fit, ut in protasi quoque tali vocabulo locus detur, nisi forte prolepsin quasi deum ex machina advocas, id quod Curtius[4]), vir rei grammaticae peritissimus fecit. Quae autem esset causa, cur prolepsis tam exiguis finibus contineretur? Certe nulla. Prolepsin exstare concedo in locis, qualis est in Platonis civitat. 332. *τί ἂν οἴει ἡμῖν αὐτὸν ἀποκρίνασθαι*, ubi *ἄν* ab infinitivo, cui debetur, ad verbum regens prosiluit, cum duae sententiae adeo inter se coalescant, ut tamquam una existant. cf. Xen. Cyrop. 5. 4. *οὐκ οἶδ' ἄν, εἰ ἐκτησάμην. κ. τ. λ.* Quam rem descripsit Matthiae, Ausf. Gram. §. 599, 3. Sed qui

1) Zeitschr. f. d. Gymnasialwes. 1878. p. 113.

2) cf. etiam Koppin, program. Wismar. 1877. p. 27.

3) Aken, Grundz. par. 56 anm. 2. et Delbrück, Windisch Synt. Forsch. p. 23 et 90. cf. etiam Koppin Ztsch. f. G. 1878. p. 106 anm. 3.

4) Erläuterungen p. 191.

demonstrativam particulae tribuunt significationem, in illam, quamvis negent, recidant necesse est doctrinam Hermanni[1], viri doctissimi atque spectatissimi, qua particula semper referenda sit ad condicionem sive appositam sive omissam et mente cogitatam. Qua in re multum profecerunt Baeumlein et qui eum defendit Leop. Schmidt[2] [3], quod illis vinculis particulam solverunt. Baeumlein p. 53 haec docet: »Das ist es, worauf wir bei der Partikel ἄν dringen zu müssen glauben, dass sie eine selbständige Bedeutung habe, nicht bloss die Bestimmung, auf ein correspondirendes zweites Glied hinzuweisen, dass der Satz, dem sie angehört, nicht nothwendig ein fragmentarischer sei, dass er in sich vollständig, ein Ganzes sein könne.« Ipsam vocabuli notionem reperire destitit, sed doctissime id potius egit, ut vim circumscriberet usumque depingeret. Quam penitus nihilo secius illud Hermanni praeceptum in hominum doctorum animis defixum sit, ex Grummii[4]) libello cernitur, ubi de enuntiatis optativis loquitur: »Nicht die Optativsätze selbst vertreten den Vordersatz, sondern ihr Inhalt ist vor dem folgenden Satze als hypothetischer Vordersatz wieder zu ergänzen«, quasi optatio ipsa non simul alius rei condicionem continere possit. Etiam Kuehnerus[5]) in nova libri utilissimi editione errorem retinuit.

Verum si quaeritur, quaenam vera particulae insita sit notio, quae ad alios dicendi modos se accommodet, ab aliis abhorreat, mihi Langii probatur opinio, qua Hermanni sententia non tam tollitur, quam corrigitur, cum condicionem quidem indicari praeceperit sed indefinitam, quo factum est, ut ipse, quam Baeumleinius liberam ostendit vocabuli naturam servaret. Die Partikel[6]) εἰ p. 42. »κε weist nicht zurück, wie τῶ, sondern deutet als indefinite Partikel das Vorhandensein unbekannter Bedingungen an.«

Eiusmodi autem vocabuli notio et optativo et coniunctivo modo, qui quidem praedicando inserviunt, facile coniungitur, ita ut ipsa modorum vis accuratius definiatur. Intellegi quoque potest, cur part. nunquam eis verbi formis addatur, quibus voluntatis significatio inest. Nihil scilicet est, quod impediat, quin certa condicio his iungatur, sed incerta, opinor, ab iis enuntiatis, quae certam sive directam ψυχῆς διάθεσιν indicent, aliena est.

Qualis autem cum indicativo praeteriti sit consociatio, recte iam Apollonius in synt. III.c. 6 docuit: τὰ γεγονότα τῶν πραγμάτων ὁ σύνδεσμος ἀναιρεῖν θέλει; attamen minus accurate pergit περιϊστάνων αὐτὰ εἰς τὸ δύνασθαι sine dubio existimans potestatis notione cum praeterito coniuncta res negari (ἀναιρεῖσθαι), velut ἐδυνάμην ποιεῖν idem valeret

---

1) de particula ἄν libr. IV. Lpz. 1831. p. 6.
2) Ind lect. Marb. hib. 1869. de omissa apud optativum et coni. ἄν particula.
3) Ind. lect. Marburg. aest. 1870. de tractandae syntaxis graec. ratione commentatio.
4) Homerische Miscellen, Gera. Progr. 1879.
5) Kuehner par. 392a.
6) in Abhandl. d. K. S. Ges. d. Wiss. Leipz. 1872. p. 42. aliis locis.

atque *οὐκ ἐποίησα*, sed cavendum est, ne ipsi particulae eiusmodi vim admixtam esse credamus. Hoc certe patet, accedente ad praeteritum *ἄν (κεν)*, sententiam in contrarium verti, i. e. sensum evadere irrealem, id quod Koppin in progr. Wismar. 1877. p. 17. negavit, Baeumlein p. 127 sqq. alium quidem in modum defendit.

Condicio igitur ab initio aut soli particulae incerta inest, aut qualibet forma certius apponitur, sive enuntiato vere condicionali, sive sententia primaria sive optativa, sive participio sive adiectivo, neque iam ellipsin[1]) esse ducemus, ubi protasis condicionalis non adiecta legitur.

Sed eo res iam processit, ut in enuntiatis irrealibus, quae vocantur, notionis originem esse duplicem perspiciatur, aliam in optativis (sive in protasi), aliam in praedicativis (sive in apodosi), neque negari potest utramque rationem per se ortam, utrique ab initio eandem fere vim insitam esse. Itaque factum est, ut propter notionem cognatam facile inter se, par scilicet pari iungeretur. Cumque Lange primus in libro de particula *εἰ* demonstraverit, quae inter enuntiata optativa et condicionalia, quae optativum quidem modum exhibent, intercedat ratio, facile, quae exstitit controversia, utrum nuda parataxi an correlatione enunt. condicionalia evaserint, diiudicatur. Lange p. 71 (377): »Aber schon jetzt kann es kaum einem Zweifel unterliegen, dass diejenige Species der hypothetischen Protasis, für welche der Optativ characteristisch ist, historisch den Wunschsätzen ihre Entstehung verdankt, und dass der Entwicklungsprocess dieser Species der hypothetischen Protasis im Zusammenhang steht mit der Entwicklung der Hypotaxis aus der Parataxis.«

Quare cum de enuntiatis irrealibus, quae vocantur, aliter censeri nequeat, paucis rem attingam. Ab origine igitur ratio prorsus eadem est in condicionalibus atque in optativis enuntiatis, aut ut accuratius dicam: Optativi modo potestas sive dubitatio, indicativo praeteriti contra res certae minime dubiae depinguntur. Possum multa in hanc rem afferre exempla, sed ex magna copia pauca sumam.

Ε 679. καί νύ κ' ἔτι πλέονας Λυκίων κτάνε δῖος Ὀδυσσεύς,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε μέγας κορυθαίολος Ἕκτωρ.

i. e.: Plures Ulixes non occidit, nam Hector eum prohibuit; sed

Α 257. ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες
ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ
εἰ σφῶιν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένουν,

incertum est, num discordiam Troiani comperiant.

Hoc vero loco praetermittendus non est usus ille praeteriti potentialis, quem vocat Aken[2]), quem quidem probant Lipsius[3]), Koppin[4]), Gerth[5]). Qualis autem hic usus sit,

1) ut Kuehner, Ausf. Gram. par. 596, 7.
2) Aken, Grundz. par. 72 sqq.
3) Lipsius, quaest. Lys. spec. Lpz. 1864. p. 11.
4) Koppin, Ztsch. f. G. W. 1878. p. 130.
5) Gerth, Progr. Dresden 1878. p. 8.

iam investigabo. Nonnullis enim locis, qui apud Homerum leguntur, omnino optativus indicativi praeteriti partibus fungi posse videtur, quare Gerth. p. 8. haec profert: »Homer gebraucht den Optativ mit κεν neben dem Indicativ praeteriti mit κεν, ohne dass ein wesentlicher Unterschied zu bemerken ist.« Cui quidem minime assentior, sed discrimen, quod inter utramque rationem intercedat, plerumque, quamvis saepe subtile sit, cerni et explicari posse dico.

E 388. *καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης ἆτος πολέμοιο*
εἰ μὴ μητρυιὴ περικαλλὴς Ἠερίβοια,
Ἑρμέᾳ ἐξήγγειλεν.

Apparet Dionem dicentem de Are, deo potentissimo ab Aloidis hominibus paene oppresso, certa indicativi ratione optime abstinere, ut omnino ab homine deum perdi posse neget. Cum tamen *E* 311 idem de Aenea in Diomedem multo fortiorem adversarium pugnante legitur, ironice dictum videtur esse, nisi falso optativum huc mavis irrepsisse, quam rem Lehrsius in libro de Aristarchi studiis p. 440, ubi de textus Homerici corruptione disputavit, his verbis adumbravit: »Confusion vielfach im Einzelnen, namentlich wogegen kein Gedächtnis schützte, hinübersingen derselben Verse an ähnliche und doch nicht gleiche Stellen.«

β 184. *οὐκ ἂν τόσσα θεοπροπέων ἀγόρευες*
οὐδέ κε Τηλέμαχον κεχολωμένον ὧδ' ἀνιείης.

Actio *ἀγαορεύειν* modo confecta est, *ἀνιέναι* contra Eurymachus a se prohiberi posse sperat, cum calumnians, convicians, minans efficere studeat, ne Telemachus vatis verbis fidem habeat.

B 80. *εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπεν*
ψεῦδός κεν φαῖμεν καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον

Nestor incertum profert iudicium, optativum adhibens, ne inurbane loquens, nulli nisi Agamemnoni a deis verum somnium mitti, eos, qui audiunt, offendat.

λ 489. *βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ*
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη κ. τ. λ.

verba ad Ulixis respiciunt consolationem: *νῦν αὖτε μέγα κρατέεις νεκύεσσιν.* Cur cautione quadam usus sit Achilles, cum qualis sors sibi esset praeferenda diceret, facile intellegitur.

γ 232. *βουλοίμην δ' ἂν ἐγώ γε καὶ ἄλγεα πολλὰ μογήσας*
οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι,
ἢ ἐλθὼν ἀπολέσθαι ἐφέστιος.

Indicativus hoc loco a nemine nisi ab anima Agamemnonis, qui re vera domi a suis periit, pronuntiari potest, non autem Agamemnonem sed Minervam verba facere apparet. *Γ* 41 verbis *καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν* parenthesis ratione positis Hector admonet, quantam adhuc calamitatem Paris, Helena rapta, patriae intulerit, sed (*καί κε τὸ βουλοίμην ἢ οὕτω λώβην τ' ἔμεναι καὶ ὑπόψιον ἄλλων.*) sperat fore, ut ille

invidiam quidem modo fuga conceptam delere audeat, i. e. optativo damnum, quod repelli potest, praeterito autem, quod non iam potest, hoc loco indicatur.

Quid iam dicam de ι 126 et 130? 126 *οὐδ' ἄνδρες νηῶν ἔνι τέκτονες, οἵ κε κάμοιεν νῆας εὐσέλμους κ. τ. λ.* 129 sq. *ἄνδρες ἐπ' ἀλλήλους νηυσὶν περόωσι θάλασσαν· οἵ κέ σφιν καὶ νῆσον εὐκτιμένην ἐκάμοντο.*

Cur non in utroque versu optativus, cur eodem fere sensu (130) indicativus adhibetur? An certa causa non cernitur? Res quidem haec est: v. 126 omnino potestas significatur: non insunt navium aedificandarum periti, sed inter 129 et 130 sententia oppressa est, sed mente explenda: *ἀλλ' οὔ τινες πρὸς ταύτην τὴν νῆσον ἀφίκοντο*: si qui navibus ad insulam advecti essent, hi terram colendam curassent. Quod autem Aken[1]) in lingua ipsis Homeri carminibus recentiore idem valere posse optativum atque indicativum existimat spectans Xen. Mem. I. 4. 11 *Εἰ νομίζοιμι θεοὺς ἀνθρώπων τι φροντίζειν, οὐκ ἂν ἀμελοίην αὐτῶν*; falso ex Socratis verbis *Ἔπειτ' οὐκ οἴει φροντίζειν*; sententiam irrealem esse conclusit: nam ipse Socrates, si ita intellexisset, certe non quaesiisset, quid re vera Aristodemus de diis cogitaret; sed propterea quod ille dubia dicendi ratione usus est, Socrates non quaerere non potuit. Neglexit praeterea Aken verba esse sententiae secundariae pendentis ex: *Εὖ γὰρ ἴσθι, ὅτι*, merito, quod postea videbimus, nihil huic rei momenti tribuens. Conferenda sunt verba cum Xen. Hell. II. 3. 56, ubi post *οἰμώξειεν* particulam *ἄν* lapsu calami in mss. omissam esse puto.

Infitiari igitur videor utramque rationem inter se confundi posse? Sane. Neque tamen minus exempla apud Homerum inveniuntur, quibus indicativus optativi quasi partes suscipiat — sed in solis verbis putandi, sentiendi, animi affectus, similium de secunda vel tertia persona fieri moneo.

Quod quidem minime mirandum est, cum de cogitatione animique affectu, quibus quaque de re oblata alii uti nobis videntur, modo certius modo cautius iudicari liceat. Sed res exemplis iam probanda mihi erit.

ξ 37 sq. *ὦ γέρον, ἦ ὀλίγου σε κύνες διεδηλήσαντο*
ἐξαπίνης, καί κέν μοι ἐλεγχείην κατέχευας.

Indicativus indicat, quid ipse Eumaius simili condicione iudicaverit, rem vituperatione dignum esse. Etiam Δ 421, Π 638, λ 418, ι 211, ν 353, ψ 47, ω 61, 90 indicativus ita ponitur, ut vix ab optativi vi differat. Nihilo autem minus his quoque locis negatio exprimitur, minoris quidem momenti, quae ad sententiarum connexum supervacanea fere eo consilio videtur adhiberi, ut sermonis color augeatur. cf. Arist. Ran. 1022 *ὁ θεασάμενος πᾶς ἄν τις ἀνὴρ ἠράσθη δάιος εἶναι.*

Neque opinionem nostram frangi locis, quales κ 184, ο 263 inveniuntur, facile intellegitur, nam κ 84 *ἔνθα κ' ἄυπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθούς* — *ἄυπνος* adiectivo

1) Grundzüge par. 201.

certa condicio apposita idem valet atque »εἰ ἀεὶ ἐγρηγόρει ἀνήρ«; et σ 261 sqq. καὶ γὰρ Τρῶας φασὶ μαχητὰς ἔμμεναι ἄνδρας 263 ἵππων τ' ὠκυπόδων ἐπιβήτορας, οἵ κε τάχιστα ἔκριναν μέγα νεῖκος ὁμοιίου πολέμοιο. — ὁμοιίου πολέμοιο sententiam praebent eandem atque εἰ ὅμοιος πόλεμος (ἦν) ἐγένετο.«

Apparet de quibus rebus nisi dubie optativi ratione indicari nequeat, plurimas esse praesentes sive futuras, quae contra indicativo certae proferantur plerasque esse praeteritas. Neque vero quidquam impedit, quin rerum potestas ad praeteritum quoque tempus pertineat, velut *E* 388 ἀπόλοιτο germanice »hätte umkommen können.« φ 128 τανύσσειε, »hätte ihn vielleicht gespannt.« cf. etiam Δ 223, 429, *E* 85. Sed etsi haec dicendi subtilitas post Homerum evanuit, tamen iudicandum non est, duas illas structuras ita in unam confluxisse, ut indicativus suam ipsius vim perderet; sed optativi ratione ad res praeteritas depingendas scriptores carere potuerunt, cum circumscribendi facultas daretur.

Ad vertendum autem illud, de quo dixi, praeteritum Germanos, utpote qui in dicendo coloris potentialis maxime sint diligentes, verbo auxiliari »können« uti posse, perspicitur, sed verendum ne quid nostrae ipsius linguae falso in Graecam transferamus. Quod quamvis Kuehnerus [1]) non male exposuerit: »Im Griechischen wird das Satzverhältnis als ein factisches aufgefasst, und ἄν deutet nur an, dass etwas nicht schlechtweg, sondern unter gewissen Umständen geschah« tamen in errore versatur, qui δ 546 [2]) κεν particulam tuendam putaverit. Etenim quod Leop. Schmidt [3]), vir doctissimus de praeteriti in enuntiatis condicionalibus vi docuit, omnino valere contendo »res proponi, quae non tam ludibrio sumantur quam cum rei veritate aperte pugnent.« Quare terminus ille, quo indicativum sive indicativi usum appellant potentialem, prorsus reiiciendus est atque solus optativi potentialis terminus retinendus. Itaque iam demonstrasse me duco consuetudinem Homericam in enuntiatis irrealibus, quae vocantur, re vera a sermone poetae illius carminibus posteriore non differre.

Sed erunt, qui de vi et origine usus quae dixi negent, duo potissimum quae adhuc praetermisi, sententiarum genera respicientes. Primum quidem illa Homeri carminum exempla, quae in protasi tempus secundum, in apodosi primum exhibent, consideranda mihi sunt, qualia saepe inveniuntur, velut

γ 98 Λίσσομαι, εἴ ποτέ τοί τι πατὴρ ἐμὸς ἐσθλὸς Ὀδυσσεὺς
ἢ ἔπος ἠέ τι ἔργον ὑποστὰς ἐξετέλεσσεν. κ. τ. λ.

cf. δ 328. 763, β 70, ρ 240. τ 216, 315. υ 98, χ 359, Α 39. 280, 290, 389, 394. 503, Δ 160,

1) par. 392. a 4. — 2) Sed etiam quod Bekkerus coniecit καί non prorsus placet; sententia enim est: aut vivit Aegisthus (ζωόν), aut mortuus est (κτεῖνεν). si quidem vivit, tibi licet eum interficere, si mortuus est, sepulcrum reperire; itaque rectius legi puto: ἢ γάρ κεν ζωόν γε κιχήσαις ἤ μιν Ὀρέστης κτεῖνεν ὑποφθάμενος· σὺ δέ κεν τάφου ἀντιβολήσαις, ita ut κεν et μιν alterum alterius locum suscipiat et κιχήσαις optativo ἀντιβολήσαις par pari opponatur; sed vereor, ne nimia sit mutatio.

3) index lect. acad. Marb. hib. 1869. p. 8.

321, *E* 103 sqq. 116. Quae omnia nonne opinioni nostrae videntur repugnare? Sane videntur. At significationis quod cernitur discrimen potest explicari. Vidimus quidem enuntiata condicionalia et optativa ab iisdem principiis profecta esse, sed quod exempla proposita demonstrant, haec ab illis ratione secesserunt. Optativa enim enuntiata sine ullo apodosis subsidio semper primariam vim servaverunt, et apodosi addita parataxis rationem sibi retinuerunt. Alia exstitit sors ea condicionalium, nam particulae *εἰ* principali usu mutato in parataxis locum successit hypotaxis, atque protasis libertate amissa apodosi servire coepit, ita ut ex hac penderet, utrum praeterito res vera an contraria significaretur. Quare Baeumleinii, quoad quidem spectat usum, placet sententia, quod docuit protasin ex apodosi suspensam nihil per se valere, sed vim ex illa quasi domina recipere. Hoc modo praeteritum cum particula *εἰ* coniunctum veritatem quoque rerum indicare coepisse, ita ut *εἰ* causalem fere vim induceret, facile intellegitur.

Ad alterum iam genus transeundum, quod vocant iterativum. Qualem notionem aliis rebus, non ipsa particula *ἄν* cum praeterito iuncta effici merito grammatici monuerunt. Sed quale munus his locis particulae *ἄν* est? Ipsa facta qui loquuntur addito *ἄν* quasi ficta pronuntiant, ut minus certe se novisse profiteantur, quae saepius fuerunt. Confer Leop. Schmidt[1]) p. 9 »quodsi res saepius repetita narratur, complures species inter se valde similes nec tamen prorsus pares menti obversantur, quo fit, ut memoria in varias partes distrahatur et quodammodo fluctuet.« Quod autem Kuehnerus attulit exemplum *β* 104 *ἔνθα κεν ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστὸν κ. τ. λ.* huc minime pertinet, cum praeter unum codicem Vindobonensem, quo *κεν* traditur, omnes, nisi fallor, *καὶ* praebeant. Neque etiam verba *σ* 264 hoc modo accipienda sunt, nisi imperfectum pro aoristo legendum est. Non male Gerth. h. l. *τε* pro *κε* coniecit atque aoristum gnomicum esse dixit. Sed supra iam, quemadmodum versus explicandi sint, proposuimus. Post Homerum structura saepius invenitur. Eur. Phoen. 401 *ποτὲ μὲν ἐπ' ἦμαρ εἶχον, εἶτ' οὐκ εἶχον ἄν*, Soph. Phil. 296 *εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν*, Plat. Apol. 22b *ἀναλαμβάνων οὖν τὰ ποιήματα διηρώτων ἂν αὐτούς, τί λέγοιεν.* Qui haec faciunt verba opponi possunt iis, qui quae tempore praeterito non fuisse certe sciunt, quasi vera edunt, particula *ἄν* omissa eo consilio, ut vividius res percipiantur, velut in Eur. Hec. 1113 *εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν | πύργους πεσόντας ᾔσμεν Ἑλλήνων δορί, φόβον παρέσχεν οὐ μέσως ὅδε κτύπος.* Etsi Agamemnon timore se non affectum esse dicturus est, tamen *ἄν* deest, ut quasi alius hominis quae foret animi condicio depingatur. Lycurg. 23 *εἰ μὲν οὖν ζῶν ἐτύγχανεν ὁ Ἀμύντας, ἐκεῖνον αὐτὸν παρεσχόμην· νῦν δὲ ὑμῖν καλῶ τοὺς συνειδότας. Παρεσχόμην* dicit, quasi re vera fecisset, quod certe posse se, si viveret ille, credi vult. Interdum etiam certior dictionis causa cernitur, sicut in Eur. Ba. 1312. *τὸν γέροντα δὲ | οὐδεὶς ὑβρίζειν ἤθελ' εἰσορῶν τὸ σὸν κάρα· δίκην γὰρ ἀξίαν ἐλάμβανεν*, ubi propter *ἀξίαν* vocem particula omnissa est: »dignus erat, qui

1) Ind. lect. Marb. hib. 1869.

poenam daret;« quare exemplum illis comparandum, de quibus supra pauca iam dicta sunt, quae necessitatem, sive voluntatem de praeterito tempore significant. Vidimus enim nunquam apud Homerum *ἄν* particulam praeterito *ὀφείλειν* verbi addi, neque eorum, quibus voluntatis notio exprimitur, nisi unum, opinor, exstat exemplum, quod *ἄν* cum praeterito iunctum exhibet.

ι 334 *οἵδ' ἔλαχον, τοὺς ἄν κε καὶ ἤθελον αὐτοὺς ἑλέσθαι*, cur utraque forma apposita sit, non intellegitur, sed in eiusmodi enuntiatis, particula accedente ipsam voluntatem sive necessitatem, nudo verbi auxiliarii indicativo solum infinitivum negari recte God. Hermannus iam monuit in lib. de partic. *ἄν*. cap. 12. Ita enim nostro quoque loco Ulixes particula utitur, ut profiteatur »eligere omnino nolui, sed sortiendum erat; si autem voluissem (vellem), ipsos illos elegissem (eligerem).« Ut aliis verbis rem circumscribam: Si praeteritum condicione suspensum profertur, quae per se ipsam necessitatem sive voluntatem recuset, *ἄν* particula deesse nequit. Plat. civ. 328 *εἰ μὲν γὰρ ἐγὼ ἔτι ἐν δυνάμει ἦν — οὐδὲν ἄν σε ἔδει δεῦρο ἰέναι — νῦν δέ σε χρὴ πυκνότερον δεῦρο ἰέναι* — Th. I. 74 *εἰ προσεχωρήσαμεν τῷ Μήδῳ, οὐδὲν ἂν ἔτι ἔδει ὑμᾶς ναυμαχεῖν*. Non satis accurate locum interpretati sunt; sententia enim haec est: si cessissemus — (*ὑμᾶς ἔδει ναυμαχεῖν*) oportebat quidem vos solos mari certare,« *ἄν* autem particula opus est propter alteram condicionem, qua (*ἔδει*) necessitas non tolli non potest: *μὴ ἔχοντας ναῦς ἱκανάς*, i. e. cum naves aptae deessent, omnino fieri non potuisset, ut certaretis; *οὐδέν* autem vocabulum prorsus supervacaneum ironice dici apparet.

Ubi autem praeteritum tali condicione liberum est, facileque mente suppletur »id quod nunc quoque valet« vel similia, particulae locus non permittitur. In Dem. IX. 6 *Εἰ μὲν οὖν ἅπαντες ὡμολογοῦμεν Φίλιππον τῇ πόλει πολεμεῖν καὶ τὴν εἰρήνην παραβαίνειν οὐδὲν ἄλλο ἔδει τὸν παριόντα λέγειν καὶ συμβουλεύειν*, oratoris quidem opinio est, omnino nihil aliud esse dicendum, tamen cum non omnes ipsius sententiae consentiant, de alia quoque re (de pace scilicet) dicturus est: *ἐγὼ δὴ τοῦτο πρῶτον ἁπάντων λέγω κ. τ. λ.* nudo igitur praeterito nihil nisi infinitivum negari perspicuum est, neque alia interpretatione indigemus. Sunt autem qui condicionem quasi realem, q. v. dicant esse habendam, cum »ut cogitant,« »ut putatur,« »re vera« similia facile addantur, freti eiusmodi exemplis, quae in Thuc. I. 37 legitur: *καί τοι εἰ ἦσαν ἄνδρες, ὥσπερ φασίν, ἀγαθοί-ἐξῆν αὐτοῖς τὴν ἀρετὴν διδοῦσι καὶ δεχομένοις τὰ δίκαια δεικνύναι*, ubi minime condicio ab irrealibus quae vocantur differt: »si essent probi, quales se esse dicunt, sed tales se non praestiterunt (38 *ἀλλ' οὔτε πρὸς τοὺς ἄλλους οὔτε ἐς ἡμᾶς τοιοίδε εἰσίν*); nihil igitur refert, utrum verba *ὥσπερ φασίν*, accedant, necne, sed ad solum *δεικνύναι* negandum *ἐξῆν* praeteritum sufficere apparet. Sunt etiam qui addito *ἄν* verbi auxiliarii negationem effici omnino negent, quoniam simillima inveniuntur exempla, quorum alia exhibent particulam, alia nuda exstant, ita ut inter utramque rationem differentia nulla intercedere videatur, ut apud Lysiam 12, 32 *χρῆν δέ σε εἴπερ ἦσθα χρηστός, πολὺ μᾶλλον μηνυτὴν γενέσθαι κ.*

τ. λ. et 48 *καί τοι εἴπερ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός, ἐχρῆν ἂν πρῶτον μὲν μὴ παρανόμως ἄρχειν.* Sententiam enim perversam esse putant: *ἐχρῆν ἂν* eodem sensu atque *οὐκ ἐχρῆν (χρὴ) μὴ παρανόμως ἄρχειν.* At recte Aken par. 79, logicam monuit spectari consecutionem, cum qui probus non est, animo ad bene regnandum non adducatur; re vera igitur praeteritum negatur, non quo rem malam faciendam esse orator velit, id quod a sententia prorsus abhorret, sed quia qua erat natura reus, per se leges servare non cogebatur. Quare immerito usum illum subiectivum nominari volunt, ex ipsa loquentis mente ita verba proferri existimantes, ut modestiora appareant; neque quisquam aliorum analogiam verba secuta esse crediderit, sed ubique aliquantum interest, utrum *ἂν* ponatur necne. Si igitur quaeritur, cur Lys. 12, 32 *ἂν* additum non sit, eo consilio factum est, ut minus quod ex *χρηστὸς* vocabulo concludi posset, quam quod re vera faciendum fuisset indicetur.

Quare recte supra significationem nudi eiusmodi praeteriti cum enuntiatis illis optativis, qui exhibent indicativum, comparavisse mihi videor. Atque pariter sententiae quoque finales explicandae mihi videntur. Nihil autem est, cur Kuehnerus [1]) praeteritum in en. finalibus assimilatione usurpari praeceperit. Quaeri enim potest, quomodo fiat, ut non ubique eadem valeat ratio, ut praeter indicativum etiam optativus et coniunctivus legatur. Minime scriptorum arbitrio permitti, utrum hac an illa structura utentur, recte quidem, Gerth monuit, sed quam ipse rei interpretandae viam ingressus est, probare non possum. Quae res iudicari nequit, nisi quid de assimilationis ratione cogitem antea dicam. Cui ne celerius tribuamus, quae aliter intellegi non posse putantur, imprimis cavendum est. Si quidem in en. relativis adiectivis sive adverbialibus sententiae irreali iunctis, notio negandi exprimitur, nemo assimilatione fieri infitiabitur, nam adeo cum tota sententia verba coalescunt, ut ipsa vi irreali afficiantur, cum negatio sive *ἂν* vocabulo indicata, sive quae exstat alia, ad partes quoque artissime connexas pertineat. Ratio iis igitur finibus continetur, ut particula *ἂν* omitti videatur. Ex Homeri libris nota sunt exempla δ 178 sqq. *οὐδέ κεν ἡμέας ἄλλο διέκρινεν φιλέοντέ τε τερπομένω τε, πρίν ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.* α 218 *ὃν ... ἔτετμεν*; α 237 *ἐπεὶ τολύπευσεν* cf. *Z* 348, vid. Soph. Oed. Col. 926; Xen. Comm. 1. 4. 14. alia a Kuehnero in libri utilissimi par. 399, 6a conscripta.

E quibus intellegitur vera subiunctione opus esse, ut altera alteram rationem aequiparet atque mirandum est, quod cum in his enuntiatis artissima sit coniunctio, in finalibus Gerthius, parataxis quasi modo, liberius et solutius existere vinculum putat. Cum autem quae in libelli pag. 14. attulit exempla illius, quod descripsit, generis sint, ut quae quidem indicativum exhibent modum, lenius cum sententia primaria, quae optativum aut coniunctivum, firmius cohaereant, certe assimilationis ratione nihil profici

1) par. 399. 6. a.

apparet. Ipsa enim *ἄν* particula, quod postea accuratius videbimus, indicativus ne in relativis quidem ea carere potest, ubi lenior sententiarum inter se cernitur adhaesio.

Sed usus finalis cum indicativo optativo, q. v. non conferri non potest, atque irrealitas quae vocatur, et voluntatis notione, quae particulae inest, et praeterito verbi cooritur; consilium in rem fertur, quam aliter iam accidisse cognitum est. Ut autem iam quam volumus legem proponamus: si simul cum fine ipse rerum eventus respicitur indicativo opus est. Plat. Crit. 44 D *εἰ γὰρ ὤφελον οἷοί τε εἶναι οἱ πολλοὶ τὰ μέγιστα κακὰ ἐξεργάζεσθαι, ἵνα οἷοί τε ἦσαν αὖ καὶ ἀγαθὰ τὰ μέγιστα.* consilium *ἵνα οἷοί τε ἦσαν* eiusdem (Socratis) est, qui optationem protulit: *εἰ γὰρ ὤφελον.* Facile quidem sententia secundaria in primariam mutatur, ut per se valeat; attamen cum in aliis exemplis idem nequaquam spectetur, putandum non est, hac ipsa in re quidquam esse causae, cur indicativus usurpetur. Soph. Oed. R. 1387 *οὐκ ἂν ἐσχόμην τὸ μὴ ἀποκλεῖσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας ἵν' ἦν τυφλός τε καὶ κλύων μηδέν.* et 1392 *τί μ' οὐ λαβὼν | ἔκτεινας εὐθύς, ὡς ἔδειξα μήποτε | ἐμαυτὸν ἀνθρώποις ἔνθεν ἦ γεγώς;* Dolet Oedipus, quod aliter res evenerunt atque ipse cupit. Ut igitur in enuntiatis illis optativis praeter cognitionem rerum optatio, ita in his finalibus simul consilium significatur. Gravissimum autem rei argumentum iam Baeumleinius in illius libri pag. 100 attulit, quod in exemplis negativis ubique particula *μή* adhibetur. Sed quaestio quodammodo difficilis existit, quid de iis enuntiatis dicendum sit, quae *ἄν* particulam additam habent, quorum duo quoque a Kuehnero [1]) sunt allata, quae *ἵνα* cum *ἄν* particula coniunctum praebent. Isae. 11, 6 *τόν γε πράττοντά τι δίκαιον οὐ προσῆκεν ἀπορεῖν, ἀλλ' εὐθὺς λέγειν — ἵνα μᾶλλον ἂν ἐπιστεύετο ὑφ' ὑμῶν.* Luc. Tox. c. 18 extr. *καὶ εἴθε γε ἀνώμοτος ὢν ταῦτα ἔλεγες, ἵνα καὶ ἀπιστεῖν ἂν ἐδυνάμην αὐτοῖς.*

Quod ad primum attinet locum Kuehnerus adnotationem Schoemanni minus accurate exscripsit. Dicit enim in Isaei editione ad §. 6: »*ἵνα μᾶλλον ἂν ἐπιστεύετο ὑφ' ὑμῶν.* non tam hoc significat: quo magis a vobis fides haberetur, quam: quod si fecisset, magis ei fides haberetur. — Additur autem *ἄν*, ubi praevalet condicionis notio, obscurata consilii ac voluntatis notione.« Sed etsi *ἄν* quidem particulam »propter condicionem, unde suspensa erat, impletam« accessisse concedo, tamen in eiusmodi enuntiatis apud scriptores pedestres illius temporis consilium obscurari omnino negandum est. Condicio autem alia exstat atque Schoemannus vult. Si enim sententia esset: »quod si fecisset, eo consilio ut maiorem fidem haberetis« certe *ἄν* particula opus non esset. Sed altera praemittitur condicio, ex qua *ἄν* suspensum dicitur: quod facere potuisset, si rem iustam ageret. Orator igitur dicturus non est, adversarium postulata non perfecisse, sed perficere non potuisse. Quare si certius opinionem suam indicare voluisset ad v. *προσῆκεν* quoque *ἄν* addidisset, sed omisit, cum ex *ἄν* ad *μᾶλλον* addito res dilucida existeret.

---

1) par. 353, adn. 7.

Cavillans igitur profert sententiam: ut magis fortasse eius verbis confideretis, iurare debuit; quod quidem faceret, si posset.

Videmus in eiusmodi enuntiatum quamvis finale sit, tamen certa de causa *ἄν* particulam recipi posse. Qui usus conferri licet cum illis exemplis condicionalibus, quae in ipsa protasi irreali, quae vocatur, *ἄν* exhibent: Dem. cor. p. 101 *καὶ τίς οὐκ ἂν ἀπέκτεινέ με δικαίως, εἴ τι τῶν ὑπαρχόντων τῇ πόλει καλῶν λόγῳ μόνον ἐπεχείρησ᾽ ἄν.* ubi satis iam Leop. Schmidt in commentationis de tractandae syntaxis graecae ratione, ind. lect. acad. Marb. sem. aest. praemissae pag. 6 exposuit, ideo Demosthenem *ἄν* apposuisse, »ut a rei veritate illud, quod pro condicione sumpsit, longe abesse fortissima significatione pronuntiaret.« Atque etiam Luciani ille locus supra exscriptus nisi finalis iudicari nequit. Cum autem post Atticorum aetatem *ἵνα* saepius in usum consecutivum transiisset, ita ut nihil nisi rerum eventum denotaret, id hoc quoque loco fieri cave ne credideris. Obstat enim, quod in similibus locis negationis particula *μή* legitur, velut in Mort. dial. c. 6, 2. *τὸ τελευταῖον εἰδέναι ἐχρῆν, πότε καὶ τεθνήξεται τῶν γερόντων ἕκαστος, ἵνα μὴ μάτην ἂν ἐνίους ἐθεράπευον.* Sed si quaeritur, cur *ἄν* particula opus sit, ex ipso verborum connexu cognoscendum mihi videtur. Primo quidem loco Toxaris amicitiae exemplum, quod Mnesippus narravit, mirabilius fere existimat, quam ut credi possit. Sententia autem: »utinam ne iurasses, ut rei diffidere quoque possem.« sine *ἄν*, puro indicativo satis indicatur, sed ne Mnesippus offendatur, addito *ἄν* res ita definitur: »attamen num re vera facerem, si possem, dubito.«

Non prorsus diversus alterius dialogi locus mihi videtur, sed similior illius usus quem vocant frequentativum, ut significetur fere: rei occasione quaque oblata, quod germanice vertitur »unter Umständen«; itaque exstat sensus: sciri oportebat, quando quisque senum interiret, ne quis forsan frustra curaretur, quod quidem saepius hominibus accidere constat.

Quod Kuehnast,[1]) qui sola *ὅπως* et *ὡς* vocabula respexit, locos illos *ἵνα* exhibentes ignorans, relativam esse rationem putavit, hac in re, cum illarum particularum non prorsus eadem atque *ἵνα* sit condicio, quodammodo haerere me concedo. Ea sola exempla certe finalia habenda apparet, quae voluntatis particulam *μή* praebent, neque etiam illa, quibus additur *ἄν*, per se relativa esse iudicanda supra vidimus. Sed peculiari adhuc res eget inquisitione, utrum in eiusmodi enuntiatis omnino finalis an relativa quoque valeat ratio.

Iam cum ad *ἵνα* quidem vocabuli finalis usum leges assimilationis pertinere omnino negaverim, restat, ut illa quoque exempla finalia attingam, quae suspensa ex sententia irreali coniunctivum et optativum modum exhibent. In quibus rerum eventus prorsus negligitur, ita ut solum consilium appareat. Coniunctivo quidem utuntur, ut finis ex ipsius, cuius est, animo pronuntietur, sine ulla, num res fieri possit, dubitatione, neque

1) Repraesent. i. Gebr. des sog. apotel. conj. Rastenburg. 1851. p. 144 sqq.

refert. utrum quod interdum fieri videmus, consilium ad praesens tempus duret necne. A qua ratione minime discedit ille locus, qui legitur Antiph. Tetr. A, γ. 2. *εἴτε ἄλλοι τινὲς ἕτερόν τι τοιοῦτον κακουργοῦντες ὀφθέντες ὑπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ γνωσθῶσι, διέφθειραν αὐτούς, ἅμα τῷ τούτων φόνῳ τὸ κακούργημα ἂν ἐκηρύσσετο καὶ εἰς τούτους ἂν ἡ ὑποψία ἧκεν*; tunc scilicet vere consilium fuit, sive fuisse fingitur, cumque huius sententiae veritas ad quodvis pateat tempus, facile ad praesens quoque referri quidem licet, si mente cogitaveris: ‚velut nunc, fingite, a vobis'. Indivativo autem falsus efficeretur sensus: reprehensi iam sunt, id quod minime accidit. Optativi contra forma optime hoc loco scribi potuit, nam quae est huius modi natura, et tempus et rei eventum negligit dubiumque relinquit, quid futurum esse duxeris, id quod rei fictae consentaneum, velut in Isac. III. 28. *τοῦτοδ' εἰ δι' ἐπιθυμίαν τὴν ἐγγύην ὁ θεῖος ἡμῖν ἐποιεῖτο τῆς τοιαύτης γυναικὸς, δῆλον ὅτι κἂν ἀργύριον πολλῷ μᾶλλον ὁ ἐγγυῶν διωμολογήσατο ἔχειν αὐτὸν ἐπὶ τῇ γυναικὶ, ἵνα μὴ ἐπ' ἐκείνῳ γένοιτο ῥαδίως ἀπαλλάττεσθαι, ὅποτε βούλοιτο, τῆς γυναικός.* Endii frater Nicodemo consilium attribuens id agit, ut suam ipsius rem defendat; si autem indicativo *ἐγένετο* uteretur, quem poni potuisse Gerth putat, Nicodemi opinionem tueretur, cum concederet, consilium quidem illius fuisse, sed rem aliter evenisse: Pyrrhum Nicodemi sororem in matrimonium duxisse sed postea exturbasse. Hermanni[1]) autem doctrina quam Kuehnerus, alii secuti sunt, coniunctivum etiam post praeteritum poni, si res, quae coniunctivo illo significetur, adhuc duret, non iam placet, neque enim ubique talem legem cerni recte Gerthius[2]) monuit. Sed quoad fieri potest, rem plane proponam: indicativo opus est, si, quod plerumque fit, simul cum fine rerum cognitio exprimenda est; coniunctivo modo purum fertur consilium in rem, quam quis fieri vere aut vult aut voluit; optativus indicat de re impetranda aut dubitari aut dubitatum esse.

A finalibus seiungi non possunt enuntiata, quae a verbis timendi recta rem quandam quasi prohibendam esse indicant, quae falso Kuehnerus,[3]) alii generi interrogativo adnumerant. Recte rem Aken in libri par. 159 et Baeumlein in libri de modis pag. 105 et 195 exposuerunt. Nam *μή* particulae optativae *εἰ* (*εἴθε*) contrariam significat voluntatem. Quare illa quoque exempla supra iam allata, quae praeteritum exhibent, item atque optativa et finalia explicanda sunt. Quod autem, si timendi verbum ipsum sensu irreali ponitur, usus a ratione finali differt, ita ut in sententia recta nunquam praeteritum admittatur, nihil habet miri. Si enim liceret dicere: *ἐφοβούμην ἂν μὴ ἔπεσεν*, sensus prorsus obscurus aut omnino nullus existeret atque frustra quaereres, utrum ceciderit necne. nam, ut supra *μὴ εἶπεν*, verum deam dixisse, ita *μὴ ἔπεσεν* significaret fere, eum cecidisse, cum ex verbis *ἐφοβούμην ἂν* eum non cecidisse putares. Kuehnerus[4]) quidem in duobus exemplis indicativum irrealem, qui vocatur, assimilationis

1) Herm. ad. Viger. 350.
2) Progr. Dresden. 1878. pag. 13
3) par. 589. — 4) par. 399. 6. a.

scilicet ratione adhibitum esse contendit: Antiph. 5, 69 *καὶ εἰ μὴ φοβηθείς, ὡς ἀνεβόησεν ᾤχετο φεύγων, ἀλλ' ἐτόλμησε μεῖναι, ἀπώλοντ' ἂν οἱ ἔνδον ὄντες ἅπαντες* Ps. Lys. II. 34. — *τὸ ναυτικὸν τὸ τῶν βαρβάρων, ὃ τίς οὐκ ἂν ἰδὼν ἐφοβήθη, ὡς μέγας καὶ δεινός τῇδε τῇ πόλει κίνδυνος ἠγωνίσθη;* Utroque[1]) loco *ὡς* particula minime a verbo timendi regitur, sed vi causali praedita est, atque illud vertendum: cum clamasset, hoc: cum magnum bellum exortum esset; altero praeterea loco particula *ὡς* verba *ὃ ἰδὼν* respiciens accuratius exponit. Similiter in Platonis civitate p. 336. participium legitur: *καὶ ἐγὼ ἀκούσας ἐξεπλάγην καὶ προσβλέπων αὐτὸν ἐφοβούμην.* Sed iam quaeritur, quomodo in illis enuntiatis coniunctivus et optativus usurpetur.

Cum quae metuuntur res ex animo et tempore subiecti appareant futurae, plerumque utuntur coniunctivi modo neque quidquam refert, utrum timor ad praesens tempus pertineat necne, velut in Plat. civit. p. 367. *ἀλλ' αὐτὸς (ἂν) αὑτοῦ ἦν ἕκαστος φύλαξ, δεδιὼς μὴ ἀδικῶν τῷ μεγίστῳ κακῷ ξύνοικος ᾖ.* Sententia ex *δεδιώς* pendens sensu irreali omnino non afficitur atque res ipsa metuenda sine ulla dubitatione, num fieri possit sive potuerit, profertur. cf. Dem. XXI. 128. Optativi autem ratio eadem est atque in enuntiatis finalibus ostendimus; in Plat. Eutyphr. 15 D legitur: *εἰ γὰρ μὴ ᾔδησθα σαφῶς τό τε ὅσιον καὶ τὸ ἀνόσιον, — τοὺς θεοὺς ἂν ἔδεισας παρακινδυνεύειν μὴ οὐκ ὀρθῶς αὐτὸ ποιήσοις κ. τ. λ.* Optativus ponitur, ut de re metuenda opinio videatur quasi fluctuare, quare consilio pergit Socrates non: *οἶσθα.* sed *οἴει εἰδέναι.*

Iam exemplum quodammodo mirum praetermittere non possum, quod invenitur in Luc. Dem. enc. 37. *εἰ τοῦτον τὸν ἄνθρωπον (Δημοσθένην) ὅπλων ἀπέφηναν καὶ νεῶν — κύριον, ὀκνῶ μὴ περὶ τῆς Μακεδονίας ἂν κατέστησέ μοι τὸν λόγον κ. τ. λ.* Verba[2]) *ὀκνῶ μὴ* parenthesis loco dici videntur pro *ὤκνησα ἄν, μὴ καταστήσειε*, ut minus timor rei, quam ipse eventus, qui fuisset, exprimatur. Philippi igitur sententia haec fere est: »fortasse« mecum de Macedonia contendisset.«.

Itaque neque in enuntiatis finalibus neque in iis, quae ex verbis timendi pendent, eandem atque in relativis rationem esse demonstravisse mihi videor. Atque etiam sententias ipsas relativas assimilatione abstinere videmus, cum aut vere primariae sunt, aut talium partibus funguntur. Illi generi tribuenda et ex ipso numero relativorum excludenda sunt illa Homeri exempla ξ 62 *ὅς κεν ἐφίλει*; ι 130 *οἵ κε ἐκάμοντο*, ν 206 alia, in quibus pronominis forma demonstrativam[2]) potius exhibet vim.

Alterius generis sunt ε 39 *πόλλ', ὅσ' ἂν οὐδέποτε Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεύς, εἴπερ ἀπήμων ἦλθε λαχὼν ἀπὸ ληΐδος αἶσαν.* Dem. 4. 42 *ἐξ ὧν αἰσχύνην καὶ ἀνανδρίαν καὶ πάντα τὰ αἴσχιστα ὠφληκότες ἂν ἦμεν δημοσίᾳ* cf. 12, 85 *περὶ ὧν μηδεὶς ἂν ἄλλος ἐτόλμησεν.* A quibus diversa non est structura, qua post *οὐκ ἔστιν ὅς, ὅστις* sive *ὅπως*

1) cf. Gerth progr. Dresd. 1878 pag. 16.

2) cf. Kuehner par. 551 adn. 3, qui tamen par. 558, 9 haec exempla relativis apposuit

scriptores utuntur, cf. Demosth. 18. 43, Isocr. 12. 250. cf. Euthyphr. 15. d. Omnino enuntiata relativa sive adverbialia sive adiectiva particula ἂν carere nequeunt, si ipsa ex condicione sunt suspensa. Plat. civ. 368 ἐπεὶ ἠπίστουν ἂν ὑμῖν, scilicet κατάγε αὐτοὺς τοὺς λόγους.

Cum ad hunc disputationis locum iam pervenerim, quaerendum est, quae in reliquis quae irrealibus nectuntur sententiis scriptorum sit consuetudo. Reliquae autem sunt interrogativae, substantivae, consecutivae, quae omnes primariorum usum sequentes assimilationis rationi adeo repugnant, ut nunquam ἂν particula cum praeterito possit immutari. Interrogativa exstant exempla in Isoc. 19, 13 et in Dem. 50, 67 alia. Quod autem εἰ particula in eiusmodi enuntiatis easdem atque alia vocabula interrogativa admittit structuras, nihil habet miri. Quamvis enim hanc quoque notionem ex prima optandi[1]) vi vocabuli descendisse persuasum mihi sit, tamen illius originis in his sententiis post Homerum Graecos prorsus oblitos esse apparet. cf. Aesch. 1., 80 σὺ δὲ τί οἶσθα, εἰ ἡμεῖς ἂν τούτου κατεψηφισάμεθα; Eadem valet ratio in enuntiatis substantivis Aesch. I., 79 ἀκριβῶς εὖ οἶδ᾽ ὅτι κατέγνωτ᾽ ἂν αὐτοῦ, quocum usu cognatus est ille εἰ particulae, qui post verba affectus cernitur. Qui quomodo ex priore notione profectus sit, satis est perspicuum, cum ipsa prior ratio apud eiusmodi verba non prorsus evanuerit. Exemplum vere condicionale legitur Dem. 2, 23. τοὐναντίον γὰρ ἂν ἦν θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς — τοῦ πάντα ποιοῦντος ἃ δεῖ περιῆμεν. Sed structura praedicativa, quae vocatur: Isae. 10, 12. θαυμαστὸν γὰρ ἂν ἦν, εἰ τὴν ἐμὴν μητέρα ἔχοντι Ἀπολλοδώρῳ ἢ Ἀριστομένει οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν τῶν ἐκείνης κυρίῳ γενέσθαι κ. τ. λ. In enuntiatis eiusdem generis consecutivis hoc potissimum explicandum est, num quod inter infinitivum et indicativum, quorum utrique coniungitur ἂν particula, intercedat discrimen. Qua in re equidem Akeni[2]) sequar opinionem, qui infinitivo (cum ἂν) consecutionem enuntiati regentis, indicativo rei ipsius indicari praecepit. Quae subtilis differentia exstat Thuc. 2, 49 et 4, 78.

2, 49 legitur infinitivus; ὥστε ἥδιστα ἂν εἰς ὕδωρ ῥίπτειν hac quidem vi: ita ut indicari possit libertissime eos in mare se coniecturos fuisse: Thuc. 4, 78 autem ipsius rei contrarium significari apparet: ὥστε οὐκ ἄν ποτε προῆλθεν verba re vera Brasidam processisse indicant. Huc cum in disputando pervenerim, iam paucis monendum, in enuntiatis irrealibus saepius fieri, ut verbi finiti munere infinitivus aut participium fungatur, quae est res notissima. Infinitivus exstat: Thuc. 4, 40 ἀπεκρίνατο αὐτῷ πολλοῦ ἂν ἄξιον εἶναι τὸν ἄτρακτον, εἰ τοὺς ἀγαθοὺς διεγίγνωσκεν; participium in Plat. crit. 48. c. σκέμματα τῶν ἀναβιωσκομένων ἄν, εἰ οἷοί τε ἦσαν κ. τ. λ.

Quae quidem adhuc demonstrasse mihi videor, haec sunt:

I. in enuntiatis optativis ab Homero modo optativi res significari, aut quae re vera impetrari possunt, aut quas quis impetrari posse existimat sive optat;

1) L. Lange. Die Partikel εἰ.
2) Grundz. par. 178.

II. in enuntiatis optativis, quae vocantur irrealia ab Homero quoque tempus praeteritum indicativi aut cuiusvis verbi aut verbi ὀφείλειν cum infinitivo coniuncti usurpari;

III. irrealitatis, quae vocatur, originem esse duplicem; in enuntiatis optativis modum indicativi praeteriti ipsum et optandi et negandi notionis ab origine prorsus expertem, nil nisi tempus quod praeteriit, indicasse, quo desiderium sive particula εἰ, sive alia significatum, recusatur sive negatur; ex his autem enuntiatis eundem usum in condicionalia transiisse;

alteram exstitisse rationem irrealem particula (ἄν) κεν, quae indefinitam exprimat condicionem, cum eodem indicativo praeteriti coniuncta; hanc autem rationem cum illa facillime propter cognatam utriusque vim iungi potuisse;

IV. praeteriti et optativi modi rationem in solis verbis putandi, sentiendi, animi affectus, similium esse liberiorem; sed nihilo secius terminum indicativi potentialis sive usus potentialis indignum esse, qui in libros grammaticos recipiatur;

V. omnino Homeri consuetudinem neque in enuntiatis optativis neque in condicionalibus a sermone post eius aetatem usitato differre;

VI. praeteritum et in finalibus et iis enuntiatis, quae ex verbis timendi suspensa sunt, cum usu illo, qui in en. optativis cernitur, consentire; at assimilandi rationem non admitti nisi in en. vere relativis sententiae irreali artissime subnexis, in en. autem finalibus et cognatis ex vocabulo timendi pendentibus, item in interrogativis, praedicativis sive substantivis, consecutivis assimilationis locum non esse.